

Band VII., Nr. 2424, Seite 310-311

König Rudolf beauftragt Amman, Rat und Bürger von Rottweil mit dem Schutz des Klosters Rottenmünster.

Ohne Ortsangabe¹, 1274. Mai 18.

Rūdolffus dei gratia Romanorum rex semper augustus ministro consulibus et universis civibus in Rotwyl dilectis suis fidelibus gratiam suam et omne bonum. Pre cunctis, que nostre celsitudinis animum sollicitant et impugnant, hoc precipuum in voto gerimus et mente concipimus certiore, qualiter loca religiosa et personas in eis domino famulantes a diripientium manibus et ab insurgentibus ex adverso possimus eripere nostre provisionis presidio salutaris. Hinc est, quod cum nos venerabiles in Christo abbatissam et conventum sanctimonialium in Rotenmúnster Cisterciensis ordinis in divino cultu domino iugiter famulantes familiam predia et universa bona ipsarum, que vel in presentiarum iuste possident vel rationabiliter adipisci poterunt concedente domino largitionibus fidelium in futurum, ratione advocatie, que nobis in dictis personis et omnibus ipsis attinentibus competit, in nostram et sacri imperii protectionem receperimus specialem, vobis singulis et universis sub obtentu gratie nostre precipimus firmiter [et] districte, quatenus supradictas abbatissam [et] conventum sanctimonialium cum omnibus suis possessionibus bonis et iuribus presentibus et futuris viriliter et efficaciter defendentes easdem non permittatis in suis vel in se malignorum incursibus molestari, scituri pro certo, quod quicquid pro defensione ipsarum et eis attinentium feceritis, nostre celsitudini reputamus impensum. Volumus etiam pro maiore sepedictarum sanctimonialium comodo et quiete, ut, quicumque vestrum ab ipsis pro sua necessitate requisitus fuerit, idem non exspectatis aliis pro sue potestatis viribus earundem necessitatibus subveniat et occurrat.

 Datum XV. kalendas Junii, anno domini MCCLXX quarto, regni nostri anno primo.

Der Textabdruck folgt dem Kopialbuch des Klosters Rottenmünster aus dem 15.–16. Jahrhundert, S. 49.

¹Den Regesta Imperii Abt. 6, Bd. 1, zufolge, hielt sich König Rudolf um diese Zeit länger in Hagenau auf.

Überlieferung und Publikationen

Überlieferung und Textkritik:

War im 1944 durch Fliegerangriff verbrannten Diplomatar HStA Stuttgart H 14 Nr. 211, S. 49.

Regesten:

Urkundenbuch der Stadt Rottweil, bearb. von Heinrich Günter, Stuttgart 1896 (Württembergische Geschichtsquellen, 3), Nr. 34. Regesta Imperii Abt. 6, Bd. 1, S. 52, Nr. 165.

Weitere Angaben

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Ohne Ortsangabe

Ortsindex:

Rottenmünster Wohnplatz (12415)
 Rottenmünster, Rottweil, RW
 Rottweil Wohnplatz (12416)
 Rottweil, RW